

quia non nisi magno cum damno conficiendum, et aliorum confici curantium fieri potest, adeo, ut cupientes simile aurum continuo vana spe deludantur, et interim mediis exhauriantur; nam, ut ait Pontifex mox a principio, Spondent, quas non exhibent divitias, pauperes alchimistæ. Sed de hoc plura alii.

25. *Usu, seu potius abusu quomodo committatur falsum.* — Quæritur VII. Quibus modis falsum committatur usu, seu potius abusu? Resp. Cum Engel, h. t. num. 17, et aliis, id fieri, quando quis scienter utitur falsitate ab aliis conficta; ut si quis testimonium vel instrumentum scriptum falsum scienter in judicio proferat, monetam falsam scienter dolose colligat et expendat, ac hujusmodi. Huc reducent aliqui etiam illos, quos supra num. 10 et 18, posuimus, verum parum refert, num falsarius quis usu, facto, vel scripto dicatur, quia quivis certis pœnis subjectus est juxta statim dicenda.

26. *Pœna committentis crimen falsi cujuscunque.* — Quæritur VIII. Quas pœnas incurrant falsarii, seu committentes crimen falsi? Resp. I. Pœna ordinaria committentis quodcumque tandem crimen falsi, olim circa nobiles erat deportatio cum omnium bonorum publicatione; circa personas viles damnatio ad metallum; circa servos ultimum supplicium, l. 1, § fin. ff. *ad leg. Cornel. h. l. Si quis*, 38, § 7, ff. *de Pœnis*. Hodie tamen ex arbitrio judicis prudentis pro diversitate circumstantiarum imponitur, prout notat Glossa in cit. l. 1, § fin. *¶ Eorum*, adeo ut subinde pecuniaria, subinde corporalis, sive etiam capitalis esse possit l. *Ubi falsi* 22. *C. Ad leg. Cornel. h. t. ubi in fine habetur*. Supplicio capitali, si id exigat magnitudo commissi.

27. *Pœna testis falsum committentis in judicio de jure civili.* — Resp. II. Pœnas falsariorum esse varias pro diversitate falsi ab eis commissi. Patet inductione. Nam imprimis testis in judicio falsum committens juxta dicta num. 3, 4, 5 et 6, de jure civili eandem, quam alii falsarii, incurrit pœnam specificatam num. præced.

Ex ordinatione autem Caroli V art. 107. Testis in causa civili falsum cum juramento dicens evadit infamis, et tenetur ad omne damnum parti per falsum læsæ inde secutum: ac insuper juxta receptam consuetudinem amputantur eidem duo illi digiti, quos in præstationem juramenti ad Deum

erexit. In causa criminali autem falsum committens, pœna talionis, id est illa, qua reus puniri debuisset, juxta eandem Caroli V ordinationem, art. 68, punitur ad imitationem legis divinæ Deut. cap. xix, *¶* 19 et 21.

28. *Pœna testis falsum committentis de jure canonico. Pœna detrusionis in monasterium hodie transit in pœnam trivemium, aut perpetui carceris.* — De jure canonico autem testis quicumque, sive clericus, sive laicus in judicio sive civili, sive criminali falsum committens est infamis, can. *Constituimus*, 9, cau. 3, q. 5, ibi: « Qui, etc. falsum testimonium dixerunt, infames sunt. » Clericus insuper falsum in judicio quocumque committens, deponi, et in monasterium detrudi jubetur, can. *Si quis episcopus*, 7, dist. 50, vel ad trivemes, aut perpetuos carceres damnandus est; quia loco detrusionis in monasterium olim consuetæ hodie succedit damnatio ad trivemes, vel perpetuos carceres teste Fagnano, in c. *Cum non ab homine, de Judiciis*, num. 104; Farinac. q. 119, num. 55.

29. Quæ tamen ordinaria pœna clerici testis falsi limitatur, et in arbitrariam reducit, casu quo non nisi circa accidentalalia, vel sine præjudicio tertii falsum committit. Clarus, § *Falsum*, n. 9 et n. 33; Menoccius, *de Arbitrar. judic.* casu 306, n. 22.

30. *Pœna advocati.* — II. Pœna advocati falsum committentis juxta dicta n. 8 præter ordinariam est etiam, quod teneatur ad reparationem damni, ac insuper ad arbitrium judicis pro diversitate personarum, et circumstantiarum, fustigatione, carcere, vel relegatione puniri valeat vigore Ordinatio Caroli V, art. 115.

31. *Pœna judicis committentis falsum.* — III. Pœna judicis falsum committentis juxta dicta n. 7, specialis olim erat exilii, et capitis, l. *Lex Julia*, 7, § fin. ff. *ad Leg. Jul. Repetund.*; hodie vero pro diversitate circumstantiarum est privatio officii et dignitatis, ac inhabilitatis ad judicandum, confiscatio honorum, vel etiam exilii, et capitis. Farinacius, q. 111, a n. 4; Menochius, *de Arbitrar. judic.* casu 342, a n. 7. Judicis ecclesiastici vero falsum committentis pœna præter ordinariam est suspensio a divinis, et compensatio damni illati, c. 1, *de Sentent. et rejudicat.* in 6.

32. *Pœna committentis falsum in scripto.* — IV. Pœna scripto committentis falsum

juxta dicta n. 9, est ordinaria n. 27 allegata.

33. *Pœna committentium falsum circa litteras apostolicas. Quæ stringunt, etsi ex falso nulli sequatur damnum.* — V. Pœnæ committentium aliquod falsum circa litteras apostolicas juxta dicta n. 12 et 13, sunt sequentes. Primo est excommunicatio Papæ reservata, c. *Ad falsariorum*, 7, h. t. juncta Bulla Cœnæ, § 6, cujus pœnæ non tamen reservatæ etiam subjecti sunt horum fautores cit. c. 7, h. t. Secundo clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus officiis, et beneficiis ecclesiasticis perpetuo sint privati; ita quod si per se falsitatis vitium exererint, postquam per ecclesiasticum judicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi, ut in formalibus statuitur cit. c. *Ad falsorum*, 7, h. t. ubi ulterius tertio ita statuit Papa, qui sub nomine nostro litteris falsis utuntur, si clerici fuerint, officiis et beneficiis ecclesiasticis spolientur; si laici tandiu maneant excommunicationi subjecti, donec satisfaciant competenter: et infra, quod et de his qui falsas litteras impetrant, statuimus observandum. Quarto statuitur c. *Dura*, 4, h. t. quod, si quis falsas litteras se habere cognoscit, intra viginti dies, illas aut destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit evitare: cui proin quis subjacet, etsi illis non utatur, nec utendi intentionem habeat. Barbosa, in cit. c. *Dura*, 4, h. t. n. 2. Et hæc pœnæ contra falsarios circa litteras apostolicas procedunt, etsi ex hujusmodi falso nullum, aut modicum damnum emergat, uti cum Bonacina, tom. III, *de Censuris*, disp. 1, q. 7, pun. 2, n. 5, docet Palao, tract. XXIX, disp. 3, pun. 7, n. 4. Ratio est, quia falsum in illis, sub dictis pœnis prohibetur non tam propter damnum inde secutum, quam propter contemptum supremæ auctoritatis, a qua litteræ veniunt, et ut omnis occasio falsi in his evitetur.

34. *Pœna falsificantium pondera et mensuras.* — VI. Qui publica auctoritate probatam mensuram, aut pondera falsificant, præter ordinariam pœnam falsi ad duplum restituendum, necnon ad insulam damnantur, l. *Hodie*, 32, § 1, ff. *ad Leg. Cornel. h. t. ac insuper per triginta dies in pane et aqua sunt plectendi, c. Ut mensuræ*, 2, *de Empt. et vendit.*

35. *Pœna falsum supponentis partum.* —

VII. Pœna supponentis falsum partum, est ultimum supplicium l. 1, *ad Leg. Cornel. de Falsis.*

36. *Aliorum falsariorum pœna.* — VIII. Falsariorum a n. 16 usque ad 20 inclusive enarratorum pœna ordinaria arbitrio judicis imponenda est, juxta dicta n. 27.

37. *Pœnæ falsum committentis circa monetam.* — IX. Pœna falsificantium monetam eudendo adulterinam modo n. 23 declarato, est varia, videlicet confiscatio omnium bonorum; damnatio ad bestias; ac ultimum supplicium igne inferendum. Sunt insuper rei criminis læsæ majestatis, l. 1 et 2, c. *de Falsa moneta*, et Ordinatio Caroli V, art. 3. Committentes autem falsum circa monetam modo n. 21 et 22, explicato puniendi sunt arbitrio judicis in corpore vel bonis pro diversitate et frequentia delicti, per jura citata. Haunoldus, tom. VI, tr. II, a n. 455.

TITULUS XXI.

De sortilegiis.

1. *Ratio continuationis.* — Quoniam sortilegia cuncta etiam aliquam in se continent falsitatem; hinc tanquam falso affinis merito post titulum de crimine falsi, præseus subjungitur.

2. *Sortilegium largius, et proprie loquendo, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit sortilegium? Resp. I. Quamvis generalius loquendo nomine sortilegii, et per rubricam hujus tituli veniant omnes superstitiones, divinationes, et magiæ, ut bene advertit Engel, h. t. n. 1, proprie tamen et specialius loquendo, sortilegium est divinatio, qua per sortes divinatorias, et falsa signa, ope dæmonis, futura, vel occulta manifestantur, ita in re communis, patetque definitio ex terminis, solum notandis terminis per sortes divinatorias.

3. *Sortes aliæ divinatoriæ, et hæc prohibitæ.* — Sciendum est triplicis generis esse sortes, videlicet, divinatorias, consultorias, et divisorias, divinatoriæ sunt, quæ adhibentur ad cognoscendum aliquod occultum, vel futurum, quod naturaliter sciri non potest, v. g. quis sit auctor talis furti, quid in posterum sit futurum, et hujusmodi, quod damnatur, ac fieri prohibetur c. 1, h. t. Imo

hoc genus sortium passim sumitur pro ipsa divinatione, sortilegio, aut maleficio, indeque gravissime sub pœna anathematis prohibetur can. *Sortes*, 7, 26, q. 5, et alibi: nam cum talium absconditorum notitia non habeatur a Deo (suppono enim, hujusmodi sortes non adhiberi ex speciali instinctu et jussu Dei) neque alio naturali nullo consequenter habetur a dæmone, qui vel expresse, vel tacite imploratur.

4. *Aliæ consultoriæ*. — Sortes consultoriæ sunt, in quibus a Deo postulatur occultæ veritatis manifestatio, aut ancipitis consilii alicujus directio imploratur. Et hæc sortes, licet, si Dei jussu aut instinctu fiant, non sint illicitæ, de quibus dicitur Proverb. xvi: «Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.» Sic quippe peccatum Achor sorte deprehensum est, Josue, vii. Saul missis sortibus in universas tribus Israel electus in regem, I Reg. x. Sanctus Matthias sorte in collegium Apostolorum assumptus: ut taceam plura exempla, quæ referuntur cau. 26, quæst. 2. Tamen regulariter, et extra casum, quo urgente necessitate voluntas divina aliter investigari non potest, non licent, ut cum D. Thoma 2, 2, q. 25, art. 5, bene advertunt doctores. Ratio est, quia qui sine necessitate, prætermisiss ordinariis mediis ad extraordinarium ac miraculosum Dei auxilium recurrit, videtur tentare Deum, et se exponere periculo, ne decipiatur a dæmone.

5. *Aliæ divisorie sunt*. — Sortes divisorie sunt, quæ assumuntur ad dividendas res inter plures, vel ad dirimenda litigia, et hujusmodi. Et hæc per se malæ non sunt, sed sæpe bonæ ac utiles, juxta illud Proverb. xviii: «Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat.» Sic de jure communi, si plures, quibus optio alicujus rei fuit relicta, discordant in eligendo, sorte dirimitur lis, arg. I. *Si duobus*, c. *Communia de legatis*. Omitto similia exempla in praxi passim occurrentia, quorum aliqua refert Glossa, c. fin. h. t. §. *In electionibus*. Usus tamen etiam harum sortium illicitus est in electione per dicenda num. 7.

6. *Sortilegium verie dividitur*. — Resp. II. Sortilegium supra n. 2, definitum varie dividitur pro varietate nempe signorum, et rerum, per quas exercetur. Nam, ut bene explicat Bordonus, tom. I, *Resolut.* 4, n. 11. Si sortilegium fit per terram, est, et voca-

tur geomantia: si per aerem, aeromantia: si per aquam, hydromantia: si per ignem, pyromantia: si per animalium interiora, aruspicium: si per avium volatum, auspicium: si per avium garritus et voces, augurium: si per inspectionem pedum, pedomantia: si per inspectionem manuum, chiromantia: si per hominum voces, omen: si per eorum somnia, oniratica: si per signa totius corporis, physiognomia: si per signa spatulæ, spatulamantia: si per signa frontis, metoposcopia: si per homines vivos arreptos, phytonia: si per corpora assumpta mortuorum, necromantia: si per inspectionem astrorum, astrologia judiciaria dicitur.

7. *Electio ad officia ecclesiastica per sortes est illicita*. — Quæritur II. An etiam in electionibus valeat usus sortium divisoriarum, aut consultatoriarum, puta, si duo electi habeant paria vota, et neutra eligentium pars velit cedere, aut sorte possit dirimi quæstio? Ratio dubitandi est, quia imprimis in tali casu censetur quilibet sufficienter idoneus; unde non mittitur sors simpliciter super electione. Deinde favet exemplum electionis S. Matthiæ Apostoli, Act. I. Tamen resp. I. In electionibus ad dignitates, et officia ecclesiastica de jure canonico sortium usus est absolute et sine restrictione damnatus. Ita habetur c. fin. h. t. ubi Glossa §. *In electionibus*, solvit instantiam exemplo S. Matthiæ propositam, dicens, id factum esse divina inspiratione. Accedit ratio, quia electio personarum ecclesiasticarum ad dignitates et officia debet fieri ex delectu, et cum ratione attendendo ad capacitatem et merita personarum; unde non est casui et cæcæ fortunæ temere subjicienda, ne contingat eligi minus dignum, et minus habilem.

8. *Et irrita*. — Resp. II. Electio ad beneficia ecclesiastica per sortes facta, est ipso jure nulla. Ita Zoesius, h. t. n. 5. Ratio est, quia est contra formam electionis in c. *Quia propter, de Election.* præscriptam, qua forma non servata decernitur, factam hujusmodi electionem ipso jure esse nullam et invalidam; siquidem inter alia ibidem statuitur, ut electio fiat vel per formam scrutini, vel compromissi, vel inspirationis.

9. *Solvitur objectio*. — Nec obstat, quod Papa c. fin. h. t. hujusmodi electionem dicat tantummodo esse reprehensione dignam, non autem ipso jure nullam, imo eandem postmodum confirmet. Resp. enim cum

Zoesio, h. t. n. 5, in dicta electione non intervenisse vitium contra formam in c. *Quia propter, de Election.* præscriptam, cum fuerit celebrata per compromissum; quamvis intervenierit alius error, eo quod compromissarii sorte fuerint electi, quod ipsum de jure canonico est prohibitum. Licet igitur hac de causa potuisset illa electio irritari, tamen ipso jure irrita non fuit: Papa vero ex gratia eam confirmavit, ut notat Glossa ibidem §. *Ad gratiam*.

10. *Confirmatur prior doctrina*. — Resp. III. Quamvis ex natura rei et per se loquendo non esset illicita sors, præcipue ubi duo sunt æque idonei, aut paribus eligentium votis suffulti; nihilominus ex vi juris canonici verius est, electionem seu divisionem neque in isto casu esse licitam. Ita Zoesius, n. 4, siquidem cit. c. fin. h. t. generaliter sortium hujus in electionibus perpetua prohibitione damnatur. Deinde cit. c. *Quia propter, de Electionibus*, omnis electio aliter facta quam per formam scrutini, compromissi, vel inspirationis, est nulla; ergo.

11. *Magia, quid? et quotuplex?* — Quæritur III. Quid, et quotuplex sit magia? Resp. I. Magiam esse artem seu rationem operandi mira. Dividitur in naturalem, et superstitiosam seu diabolicam. Illa est, qua per causas naturales absque dæmonis ope quædam producantur mirabilia. Hæc vero, seu superstitiosa est, quæ dæmonis ope mira facit.

12. *Superstitiosa habet duplicem finem*. — Superstitiosa, seu diabolica duplicem habet finem, videlicet primo propriam ostensionem, aliudve proprium vel alienum commodum ope dæmonis consequendum. Secundo noxam alteri ope dæmonis inferendam: quæ noxa sic illa maleficium vel veneficium vocatur; prout amplius diximus in *Theologia nostra morali*, tr. V, dist. II, ubi etiam alia ad propositum adduximus.

13. *Pœnæ sortilegii, et magiæ de jure canonico contra laicos*. — Quæritur IV. Quæ pœnæ sortilegii, et magiæ? Resp. I. De jure canonico, laici sortilegi, si admoniti se non emendent, et servi, vel vi'es existunt, verberibus et cruciatibus castigandi sunt, liberi vero, ac honestiores in perpetuum carcerem sunt redigendi, can. *Contra*, 10, cau. 26, q. 5, ac etiam excommunicandi can. *Admoneant*, 15, in fine, ead. cau. q. 7, possunt etiam ab episcopo turpiter dehonestari, et e diocesi ejici, cau. *Episcopi*, 12, cau. 26,

q. 5, princ. ac insuper si magiæ sunt rei, curiæ sæculari tradi per Bullas infra citandas.

14. *Contra clericos*. — Clerici vero sortilegi ab officio et beneficio deponi, sicque depositi in monasterium (hodie in perpetuos carceres, juxta dicta num. 29) detrudi debent, can. *Oportet*, 4, et duobus seqq., can. 26, q. 5, quod si etiam magiæ rei sunt, degradari quoque, et Curiæ sæculari tradi debent, can. *Admoneant*, 15, cau. 26, q. 7, in fine.

15. Porro tam laici, quam clerici sortilegi de jure canonico sunt infames, can. *Constituimus*, 9, cau. 3, q. 5. Et si sortilegium hæresin admixtam habeat, aut sapiat, ut si dæmon invocetur, colatur, vel quando ea, quæ soli Deo competunt, Deo negarentur, et Diabolo attribuerentur, subjacet hæreticorum pœnis supra Tit. VII, § 5 et 6 enarratis.

16. *Allegantur plures constitutiones pontificiæ contra sortilegos et maleficos*. — Extant insuper de pœnis, et judiciis contra sortilegos, maleficos, etc., speciales Constitutiones Innocentii VIII, *Summis*, Tom. I. Leonis X, *Honestis*, Tom. I. Gregorii XV, *Omnipotentis*, Tom. III, et Sixti V, *Cæli et terræ*, Tom. II.

17. *Pœnæ sortilegii, et magiæ de jure civili*. — Resp. II. De jure civili sortilegi, et multo magis magiæ superstitiosæ rei penam publicationis omnium bonorum, et ultimi supplicii etiam aliquando per ignem inferendi incurrunt, l. *Nullus*, 3, et l. *Nemo*, 5, de *Maleficis*. Per Constitutionem vero Caroli V magiam cum damno tertii exercentes igne cremandi, sine aliorum damno autem ejusdem rei arbitraria judicis pœna, v. g. relegationis, carceris, vel etiam ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum puniuntur, Engel, h. t., in fine.

18. *Sortilegium et magia sunt mixti fori*. — Quæritur V. Quis sit iudex sortilegii, et magiæ? Resp. Esse mixti fori, ita ut non tantum clericos, sed etiam laicos hujus criminis reos iudex ecclesiasticus judicare valeat. Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. xxxviii, n. 92. Abbas, in c. 1, h. t., n. 3. Pirhing, h. t., n. fin. Clarus, § *Hæresis*, n. 25, ipsoque teste communis, arg. can. *Contro idol.* 10, cau. 26, q. 1. Estque jurisdictio in sortilegos et magos, etc., etiam ecclesiasticis iudicibus specialiter attributa per Bullam Sixti V, *Cæli et terræ*, quæ est VII hujus Papæ in Tom. II, Bullarii Cherubini.

19. *Potestque iudex ecclesiasticus hujus criminis reos tradere curiæ sæculari puniendos absque ullo periculo irregularitatis jure ordinario.* — Illud etiam hic notandum, quod si iudex ecclesiasticus sortilegum et maleficum curiæ sæculari tradendum invenit, id facere possit absque ullo periculo irregularitatis, et sine obtenta speciali facultate Papæ, jure ordinario, per jura citata; ita tamen, ut si clericus Curie sæculari tradatur, prius degradetur, prout bene advertit Delrio *Disquisit. magic.*, lib. V, sect. 16, de *Pœna*, et supplicio maleficorum, ubi etiam formam sententiæ contra maleficos, et traditionis ad Curiam sæcularem exhibet, apud quem insuper copiose et exacte invenies, quæcunque circa hanc materiam desiderari possent. (ADNOTATIO XXXVII.)

TITULUS XXII.

De collusione detegenda.

1. *Collusio, quid?* — Quæritur I. Quid sit, et circa quas causas fiat collusio? Resp. I. Collusio est latens et fraudulenta inter actorem et reum conventio; ut explicat Glossa in c. *Audivimus*, h. t., §. *Collusione*, dum nempe actor cum reo colludit, ejusque partes tacite adjuvat, tacendo videlicet, vel omitendo veras probationes, et falsas defensiones, aut exceptiones admittendo, vel ab accusatione desistendo, arg. c. 1, et fin., h. t.

2. *A civilistis vocatur prævaricatio, vel tergiversatio.* — Hæc collusio a civilistis vocatur prævaricatio, et tergiversatio, et colludentes dicuntur prævaricatores, vel tergiversatores. Et quidem prævaricatio vocatur, quando accusator proprias probationes dissimulat, vel falsas rei exceptiones admittit, ne puniatur, l. 1, et l. *Ab Imperatore*, ff. de *Prævaricat. Tergiversatio*, vero, quando accusator ab accusatione jam cœpta omnino desistit.

3. *Non datur in civilibus, sed tantum in criminalibus, et beneficiis causis.* — Resp. II. Quamvis nonnulli cum Hostiensi velint, collusionem committi posse tam in civilibus, quam criminalibus causis, tamen melius dicitur cum Mascardo de *Probat. Concl.* 322, n. 6, eam non nisi in criminalibus, et bene-

ficiis ecclesiasticis committi juxta c. *Audivimus*, 3, h. t., minime vero in civilibus, nisi in præjudicium tertii vel in causa matrimoniali collodatur. Ratio est, quia in civilibus licita est transactio, concordia et amicitia litigantium, vel totalis litis sublatio, hoc ipso quod agatur tantum de privato interesse ipsorum. Dum e contra in processu criminali agitur de bono communi exigente, ne delicta maneant impunita, c. *Ut famæ*, de *Sent. Excomm.*

4. *Et fieri potest non tantum inter actorem, et reum, sed inter advocatos, et procuratores.* — Cæterum collusio tam per clericos, quam laicos, et quidem non tantum inter principales, sed etiam per advocatos, et procuratores, dum videlicet horum aliquis in præjudicium sui principalis cum altero principali vel advocato illius colludit manifestando ei secreta, vel dissimulando, aut non refutando refutanda, vel probationes efficaces omitendo, etc. Notandum tamen, quod ita male procedendo advocati collusores proprie loquendo non dicantur, sed tantum improprie, arg. l. 1, de *Prævaricat.*, ibi: « Cæterum advocatus non proprie prævaricator dicitur. » Unde etiam potius falsarius, quam collusor dicitur, et pœnis falsi subjacet per dicta Tit. XX, n. 8, et n. 30. Quamvis etiam respectu talis improprie dictæ collusionis pœnæ extraordinariæ subsit, cit. l. 1 ff. de *Prævaricat.*, ibi: « Hic extraordinarie solet puniri. »

5. *Si accusator per collusionem ab accusatione desistit, potest, et debet iudex ex officio inquirere. Delicta non debent manere impunita.* — Quæritur II. Quid juris, et quæ pœnæ sequantur, casu, quo fiat collusio? Resp. I. Si accusator criminalis ab accusatione desistit, potest, imo debet iudex ex officio inquirere et procedere, arg. c. 1 et 2, h. t., ibi: « Crimina semel audita Gregorius in discussa nullo modo præteribat, etiamsi accusatus cum accusatore in gratiam redisset. » Ratio est, ne crimina jam semel publicata maneant impunita, l. *Ita vulneratus*, ff. ad *Leg. Aquil.* et c. *Ut famæ*, 35, de *Sentent. excomm.*, ibi: « Cum publicæ communitatis intersit, ne crimina maneant impunita. »

6. *Reus per collusionem absolutus, potest denuo accusari, et inquiri.* — Resp. II. Si reus interveniente collusionem per sententiam fuit absolutus, potest denuo accusari, et inquiri contra illum, quando de collusionem constat, arg. c. fin., h. t., et l. *Prævaricationis*, 3, § 1,

ff. de *Prævaricat.*, juncta l. *Si quis*, 11, C. de *Accusat.* Ratio est, tum ne delicta maneant impunita, contra cit. c. *Ut famæ*, 35, de *Sentent. excomm.* Tum ne reus ex sua malitia commodum reportet, contra l. ff. de *Dolo*.

7. *Solvitur obiectio: semel absolutus per sententiam a delicto, super illo amplius molestari non potest.* — Nec obstat, quod sententia judicis absolutoria ita tollat crimen, ut de illo quæri non amplius possit, arg. l. *Si cui*, 7, § 2, ff. de *Accusation.* et c. *De his*, 6, eod., ibi: « De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari. » Respondetur enim, quod sententia per collusionem lata sit nulla, et perinde ac si lata non fuisset, l. *Præses*, 5, C. de *Pignor.* et l. *Cum non*, 3, ff. h. t.

8. *Pœna collusionis in materia criminali.* — Resp. III. Quamvis enim collusionis, seu prævaricationis sit arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum imponenda l. *Sciendum*, 2, ff. de *Prævaricat.*, ibi: « Sciendum est, quod hodie iis, qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria, » juncta l. 1, § *Si quis*, 7, et l. 2, ff. ad *S. C. Turpil.* tamen prævaricator etiam pœnam infamiæ in specie incurrit l. *Si is*, 4, ff. de *Prævaricat.*

9. *In materia beneficii.* — Resp. IV. Si collusio fiat super beneficio ecclesiastico (cujus collusionis casus aliquis narratur c. *Audivimus*, 3, h. t.) uterque colludentium ipso privari debet beneficio; tum ne fraus et dolus alicui patrocinetur, uti habetur, cit. c. 3, h. t., tum ne delicta maneant impunita contra jura num. 5, allegata.

TITULUS XXIII.

De delictis puerorum.

1. *Infantes qui dicantur? non subjacent pœnæ criminali.* — Multa huc usque dicta sunt de variis delictis, et pœnis eorum: jam vero in præsentis titulo quæritur: Num etiam, et qualiter pueri subjaceant pœnis delictorum hactenus recensitorum, casu, quo aliquod ex eis committunt? Resp. I. Infantes, id est pueri, qui necdum compleverunt septimum annum ætatis, l. *Si infanti*, 18, C. de *Jure deliberandi*, excusantur a delictis, et pœnis per leges statutis; cum doli capaces

non sint, et, quod agunt, ignorent: arg. l. *Et si*, ff. ad *Leg. Aquil.* et l. *Infans*, ff. ad *Leg. Cornel. de Sicariis*: ubi dicitur, quod si infans damnum fecerit, aut, aliquem occiderit, non teneatur ad pœnam. Concordat Clem. un. de *Homicidio*.

2. *Nec pueri infantiæ proximi.* — Resp. II. Pueri quoque infantiæ proximi, id est, septennio non multum majores, a pœnis delictorum a se commissorum immunes sunt. Farinacius, quæst. 92, num. 26. Carpz., *Prax. criminal.*, p. 3, quæst. 143, num. 130. Ratio est, quia etiam hi sufficienti judicio carent, et non multum distant a furiosis, ut dicitur § *Sed quod*, 10, Instit. de *Inutil. stipulat.*

3. *Bene vero pueri pubertati proximi: ita tamen ut a pœna capitali sint immunes.* — Resp. III. Pueri pubertati proximi, sicut et alii, qui infantiam egressi, doli capaces sunt (quod judicis arbitrio relinquitur, estque circumstantiis dijudicandum, cum contingat alios aliis maturius judicio pollere) si aliquod crimen commissionis perpetrarunt, puta, furtum, mendacium, perjurium, homicidium, vel hujusmodi, omnino etiam criminaliter puniri possunt, mitius tamen, quam si ab aliis crimen esset commissum, c. 1, h. t., adeo ut etsi crimen capitale committant, ultimo supplicio affici non possint, nec etiam torqueri, l. 1, § 33, ff. de *S. C. Silan.* Ratio est, quia ob defectum judicii, et prudentiæ minus malitiose et dolose delinquere præsumuntur, quam ætate proveciores, et ideo etiam mitius, quam ista puniuntur, argum. l. *Fere in omnibus*, ff. de *R. I.*

4. *Nisi crimen prorsus enorme committant.* — Notat tamen bene Farinacius, tom. III, tit. de *Pœnis temperandis*, q. 92, quod si pueri in conclusione præcedenti specificati crimina prorsus enormia committant, nec spes emendationis sit, uti in veneficiis, etiam ultimo supplicio affici queant, arg. l. *Excipiuntur*, 14, ff. ad *S. C. Silan.* et *Constitut. Caroli V*, art. 164, quam etiam de crimine læsæ Majestatis procedere, defendit Decianus apud Farinacium, loc. cit., n. 107.

5. *Etsi minores ordinaria pœna affici possent, tamen regulariter mitius puniuntur.* — Resp. IV. Quamvis consecuti pubertatem (quæ in materia criminali tam quoad fœminas quam masculos habetur exacto anno decimo quarto) sed minores adhuc viginti quinque annis, ob delicta commissionis puniri possint pœna ordinaria, arg. l. *Si ex*